



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Elementa Doctrinae De Circvlis Coelestibvs, Et Primo
Motv**

Peucer, Kaspar

Vitebergae, 1576

VD16 P 1990

De Diebvs Civilibvs.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56559)

di demonstrat, plures duobus in vlla sphaera, simul paralleli esse possunt, & per 22. secundi eorundem parallelorum segmenta $\epsilon\upsilon\alpha\lambda\lambda\acute{\alpha}\xi$, id est, coalterna, quorum alterum eminet, alterum occultatur, perpetuo aequalia permanent. Sed meminerint studiosi non parallelos, nec absolutos circulos, sed spiras quasdam $\epsilon\lambda\iota\kappa\omicron\alpha\delta\epsilon\iota\varsigma$ à Sole describi. Non enim in vno caeli loco Sol haeret immotus, verum progreditur interea. Ideo non ad idem punctum caeli reducitur primo motu vnde exierat, sed ad aliud à priori diuersum.

DE DIEBUS CIVILIBVS.

QVATVOR caeli cardines, quos Horizon & Meridianus, constituunt, diem naturalem in quatuor partes distinguunt, ortu occasuq; Solis & Meridie ac media nocte definitas. Haec in sphaera recta, perpetuo diei quadrante aequali, seu 6. horis constant, neq; inter se sensibili momento temporis differunt. In obliqua, quouis anno ipsis diebus aequinoctiorum inter se numero horarum aequantur, reliquo toto tempore discrepant; ita tamen vtdue, quas supra Horizontem volutatus Sol efficit, ab exortu ad meridiem, à meridie ad occasum, inter se

ter se conueniant. Reliquæ duas, quas sub terra inueniens producit ab occasu ad medium noctis, indeq; ad ortum, etsi inter se congruunt, à prioribus tamen vel superantur vel deficiunt perpetuo, extra æquinoctiorum dies.

Harum partium diuersa initia pepererunt quatuor dierum politicorum seu ciuilium discrimina. Aliæ enim gentes ab alijs principijs non dies ciuiles solum, sed & annos politicos exorsæ sunt, vel certo quodam consilio ad sua instituta accommodato, vel superstitione, vel æmulatione, ut ab alijs se gentibus seiuingerent. Athenienses annum suum à solstitio æstiuo, vel mense qui proxime sequebatur solstitium æstiuum, ut Plato testatur, 6. de legibus: ἔπειδ' ἔπει μὲν δὲ τὸν χρόνον ἀπὸ τοῦ μετὰ θέρωνος ἑπομένης ἐπιόρου μὴν γίνεσθαι. Diem vero à solis occasu inchoarunt Babylonij annum ab æquinoctio uerno, diem à solis exortu. Romani annum à bruma, diem à media nocte. Asiatici annum ab æquinoctio autumnali diem ab occasu. Umbri diem à meridie auspiciati sunt, & hæ dierum præsertim varietates apud nostras etiam gentes reperiuntur. Silesij diem ordiuntur ab occasu ut Attici. Norici ab ortu. Mysi, & in Germania pleriq; à media nocte, Romanorum exemplo.

Cum vero tabule motuum ad dies Astronomicos, à meridie vel media nocte inceptos, constructe ac paratæ sint, loca Planetarum inde peruestigaturi, politicos dies in Astronomicos ut commutent, quo ad tabularum tempora quadrent, necesse est.

Horæ ergo ab occasu Solis numeratæ, redigentur in Astronomicas, si ad diem præcedentem absolutum, & ad horas diei sequentis ab occasu semidiurnum tempus, id est, horæ à meridie ad occasum accommodabuntur.

Dies ab ortu Solis inchoatus, Astronomico conformabitur, si ad præcedentem diem completum, & horas ortum Solis consequutas, horæ 12. cum seminocturno tempore adiungentur.

Deniq; qui à media nocte in Astronomico adaptabitur, si ex usitato, quod offertur, tempore, 12. horæ detrahuntur, quarum detractio opus est horis duodecim, quæ à media nocte numerantur in his terris, quibus non continuis 24. sed duodecim horis distinctim bis repetitis, diem discernere consuetum est. Reliquæ enim duodecim à meridie ad mediam noctem, cum Astronomicis congruant, nulla reductione indigent.